AD CELSISSIMUM DUCEM

MARLEBORUGHIUM,

S. ROM. IMPERII PRINCIPEM,

FOEDERATIS COPIIS, ANGLICANIS ET BATAVICIS
SUPREMO CUM IMPERIO
PER BELGIUM PRÆFECTUM,
FORTUNATISSIMUM PARITER AC FORTISSIMUM
TURBATORUM PACIS EUROPÆÆ
UT ANTEHAC IN GERMANIA,
ITÁ NUNC ET IN BRABANTIA FLANDRIAq;
DEBELLATOREM

ELEGIA EUCHARISTICA

COMMUNI NOMINE
LIBERATARUM PER VIRTUTEM IPSIUS
AB INTOLERABILI JUGO GALLICO GENTIUM
SCRIPTA
AB EJUSDEM LIBERATIONIS PARTICIPE

JOAN. JAC. vom Berg / Reip. Ratispon. Consular.
ET AD IMPERII COMITIA DEPUTATO.

A. O. R.
M D CC VI.

* * *

Uis Tibi par dici possit, quis jure secundus,
Maxime magnorum Marleboruge *Ducum?*
Ecquem majorem Te secula nostra, vel illa
Prisca, vel Hellas item, Roma vel ipsa dabunt?
Pellæine Tuis componam facta Tyranni?
Hic, age, terrarum quid nisi prædo fuit?
Hoc placeat titulo Lodoicus *nunc sibi, nemo*
Tam pulchrum invideat, quod tenet, huicce decus.
Scipiadûm ne Tuis exæquem nomina gestis?
At patriæ in partes hos suus egit amor.
An Tibi conferri Cæsar mereatur, iniquus
Oppressor Patriæ dira per arma suæ?

Causa

Causſa Tibi melior, bellandi juſtior ardor:
Tu pia, Tu cunctis bella probata geris;
Te libertatem peregrinis reddere terris,
Te fœda Europæ tollere vincla juvat.
Adſpirat juſto facilis fortuna labori,
Nec Tua ſucceſſu cura favente caret.
Quo Te cunq; infers, ſequitur victoria: pulſi
Diffugiunt hoſtes: mœnia clauſa patent.
Sic per Te patriæ ſua lux eſt reddita: per Te
Nunc Domino reddit ſe quoque Belga ſuo.
Quæ Tibi, quæ referent devinctæ præmia gentes:
Quæ veniet meritis digna Corona Tuis?
Civica ſervato quondam data cive vel uno;
Quot decus hoc debent millia ſalva Tibi?
Hinc & defenſi Tibi Culmina quæ dedit inter
Imperii meritum, Cæſare dante, locum,
Hæc eadem mediis Te Virtus inſeret aſtris
Inter Hyperborei ſidera clara poli.
Hîc, hîc juſta olim referet Tibi præmia Numen:
Hîc veniet meritis digna Corona Tuis.

In

In terris incisa perenni marmore verba
Hoc simul, & quævis postera secla legent:
HIC EST PERFIDIÆ VINDEX GRAVIS ILLE, SUPERBOS
JUSTITIAM REGES CUI DOCUISSE DATUM.
Hæc Tua perpetuo, Dux maxime Marleboruge,
Totius immo Tuæ gloria gentis erit.